

COLLOQVIVM DVODECIMVM

Persōnae: Mīles, Cornēlius, Mēdus.

Cornēlius viā Latinā Rōmā Tūsculum it. In viā Latinā mīles Rōmānus, quī ipse Rōmā Tūsculum it, Cornēlium post sē venīre audit.

Mīles, quī in sōle ambulat, fessus est, quia arma gravia fert.

Cornēlius dominus, quī equō vehitur, nōn est fessus, sed fessus est equus quī dominum gravem vehit. Itaque equus Cornēlii nōn currit, sed ambulat. Cornēlius nōn verberat equum suum fessum.

Mīles Cornēlium salūtat: “Salvē, domine! Equus tuus bonus est, nec solum tē, sed etiam mē portāre potest!”

Cornēlius virum armātum timet, quia ipse arma nōn fert; itaque mīlitem equum ascendere iubet: “Ascende! Hic post mē sedē!”

Mīles equum ascendit. Iam duo hominēs ūnō equō vehuntur: mīles sedet post Cornēlium, Cornēlius ante mīlitem sedet.

Equus Cornēlii, quī duōs virōs gravēs Tūsculum vehere nōn potest, irātus hinnit: “Hihihi!” atque in viā cōnsistit.

Cornēlius equum ambulāre iubet: “Ambulā, eque!” Equus autem rūsus hinnit neque sē movet.

Mīles equum hinnire audit et Cornēlium interrogat: “Cūr nōn ambulat equus?”

Cornēlius respondet: “Quia ūnum tantum hominem vehere potest.”

Mīles: “Improbus est equus. Verberā eum!”

Cornēlius: “Equus meus probus est; eum verberāre necesse nōn est.” Cornēlius equum suum amat neque eum verberāre vult.

Mīles irātus clāmat: “Age, curre, eque!” atque equum gladiō verberat!



Equus perterritus currit, atque mīles ad terram cadit! Caput eius viam pulsat.

Cornēlius equum cōsistere iubet, sed equus perterritus Tūsculum currit. Sextus, filius Cornēlii, quī ex ōstiō viam spectat, equum accurrere videt ac perterritus ab eō fugit. Equus cum dominō ante ōstium cōsistit.

Mīles autem quiētus in viā iacet ut mortuus. Dē fronte eius sanguis fluit.

Dum mīles illīc in sōle iacet, Mēdus advenit. Unde venit Mēdus?

Is Tūsculō venit et viā Latīnā Rōmam ambulat.

Mēdus laetus canit: “*Nōn via longa est Rōmam...*”

Hīc Mēdus hominem in viā iacēre videt et ante eum cōsistit.


Mēdus sē interrogat: “Quis est hic vir quī in mediā viā iacet?”

et ipse respondet: “Est mīles, nam armātus est.”

Servus caput mīlitis manū sustinet et, dum sanguinem dēterget,

interrogat eum: “Quid est, amīce? Doletne captus?”

in mediā viā = in
mediā parte viae



Vōx Mēdī ā milite nōn audītur. Mīles sē nōn movet, nec Mēdus eum spīrāre audit. Ergō Mēdus mīlitem mortuum esse putat. Sed ecce mīles oculōs aperit et parvā vōce dīcit: “Aquam...!” Mēdus, quī mīlitem vīvere gaudet, ex parvō rīvō aquam arcessit et mīlitī dat.

Mīles laetus ē manū Mēdī bibit et ‘aquam bonam esse’ dīcit: “Aqua bona est. Iam necesse nōn est mē sustinēre, amīce!”

Mēdus: “Doletne caput?”

Mīles: “Nōn male dolet...”

Mēdus: “Venī Rōmam ad medicum!”

Mīles: “Id necesse nōn est — sed necesse est mē Tūsculum ire: illic enim dux exercitūs in castrīs mē exspectat.”

Mēdus: “Rōmae mē exspectat amīca mea.”

Mīles: “Id mē dēlectat. Mē quoque puella Rōmāna amat et Rōmam vocat... Sed iam dux mē vocat in castra. Bonus mīles ducī suō pāret, ut bonus servus dominō suō. Ergō valē, bone serve, ac bene ambulā!”

Mēdus rīdet et respondet: “Valē, bone mīles!”

Mīles, quī ducem exercitūs timet, Mēdum relinquit et Tūsculum ad exercitum ambulat. Mīles ducī suō pāret.

Mēdus, quī Rōmam ambulat ad amīcam suam, mīlitem stultum esse putat. Mēdus dominō suō nōn pāret.

“Salvē!” dīcit is
quī advenit
“Valē!” dīcit is
quī discēdit